

tuum, quoniam corruisti in iniquitate tua: & apud Iezechielem: Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris: & non erit vobis in ruinam iniquitas. Hof. 1. 4, 2. Iezech. 18, 30.

40. In Novo, monetur Angelus Ecclesiæ Ephesinæ, ut meminerit, unde exciderit, & pœnitentiam agat, ac priora opera faciat. Apoc. 2, 5.

41. Comprobat idem firmissimè universus doctrinæ Evangelicæ scopus, qui in eo consistit, ut non semel tantùm ad fidem Christi convertendis, sed indefinitè omnibus pœnitentibus gratuita peccatorum remissio, propter Christum annuncietur.

42. Alioqui enim prædicationis Evangelicæ de Remissione peccatorum in Ecclesiâ nullus foret usus: sed extra ejus pomeria, ad nondum baptizatorum sive renatorum Ecclesiâ releganda esset.

43. Præterea supervacanea omninò foret solennis illa institutio potestatis clavium, Apostolis concedite, nisi ejus usus, quotidie erga lapsos & pœnitentes exerceri posset, imò deberet. Matth. 18, 18. Ioh. 20, 23.

44. Laborat insuper Negativa Quæstionis hujus decisio, plurimis absurditatibus. Statuendum enim foret, 1. Lapsorum peccatis DEI misericordiam, meritumq; Christi multis modis superari. 2. frustra in Oratione Dominica Remissionem peccatorum quotidie efflagitari: 3. frustra eandem

dem